

non reputabit; ergo illas Salutationes non recitando, veniam sit tantum Ber-  
ta peccavit.

CAS. II. Fœmina quædam robusta habens cibum nedum sufficientem, sed  
sufficientissimum pro unica refectione, quia tamen lac præbet infanti, nol-  
let servare jejuniū, quod tamen sine incommodo posset servare, ut alias  
est experta. Q. an in his circumstantiis excusat ab observantia jejuniū.

Respondeo excusari, ita cum Diana, Leand. Girib. de præcept. Decal. Ra-  
tio est, quia talis fœmina inter lactantes vere locum habet, quæ cum ple-  
niori indigeant cibo ad nutriendum tum se ipsas, tum parvulos, à jejuniū  
excusantur; unde non est cur communi lactantium privilegio privetur per  
hoc quod sit robusta, & habeat sufficientem cibum pro unica refectione, &  
absque incommodo possit jejuniū servare; sicuti qui in serotina collatiuncula  
uncia saturatur, non privatur privilegio comedendi sex, vel septem  
circiter uncias, ut omnes fatentur apud Giribald. de jejuniū dub. 8. n. 66.  
consequenter dicendum est à jejuniū excusari.

CAS. III. Confessarius audiens confessiones juvenum, & puellarum se  
accusantium omnibus diebus festis amori prophano vacare, mutuo se aspi-  
ciendo, nec non plura colloquia per alias horas inter se habendo, exigit  
ab eis promissionem se à tali amore abstinendi, quod cum nollent promit-  
tere, absolutionem denegat. Q. an bene se gerat talis Confessarius.

Respondeo practice loquendo bene se gessisse. Ratio est, quia licet quando  
aspectus sunt honesti, & colloquia indifferentia (de quibus casum procedere  
supponendum est, cum de turpibus nulla sit difficultas) speculative lo-  
quendo nullum peccatum intersit sic amori prophano vacando, maxime  
quando tales actiones ad honestum finem ordinantur, hoc est ad Matrimo-  
nii Sacramentum; tamen practice loquendo cum ita se gerere maxime ni-  
mia cum frequentia, ut in casu omnibus nempe diebus festis per alias horas  
esse solet occasio mortaliter peccandi, nec non multorum malorum origo, &  
causa; homo enim, & mulier ignis sunt & palea, & diabolus numquam cessat  
insufflare ut accendatur, ut adverit S. Hieronym. & difficile sane sit in pra-  
xi à morosa delectatione, vel à pravo desiderio abstineri, experientia plu-  
ries hoc comprobante non sine gravi animarum derrimento: sequitur Con-  
fessarium animarum zelo prædictum debere totis viribus incumbere, ut suos  
pœnitentes à tali amore divertat, vel saltem ut illi talis amoris frequentiam  
moderentur; quod si abstinentiam, vel moderationem promittere recusent,  
ut amatores periculi animarum suarum, juxta illud, qui amat periculum,  
peribit in illo, non sunt absolvendi, sed dimittendi. Ex quibus constat prac-  
tice loquendo bene se gessisse Confessarium.

### M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS. I. RUSTICUS multis miseriis oppressus negat in animo, & in corde  
Deum esse providum, & justum, sed tunc hæresim hanc ex-  
terne non profert, dum tamen paullo post factus sit ebrius, claris verbis  
dicit: Non credo Deum esse providum, & justum. Q. an incurrit excom-  
municationem Bullæ Coenæ.

Res-

Respondeo negative. Ita communiter cum Spor. in primo Decal. præcep-  
to. Ratio est, quia ad incurrendam excommunicationem Bullæ Coenæ requi-  
ritur, ut quis hæresim animo conceptam voce, vel actione externa distincte  
significativa, & moraliter mala assertive manifestet, & profiteatur, ut  
cum Saneh. lib. 2. cap. 8. num. 7. & 17. docent alii; at rusticus in casu  
hæresim manifestans in ebrietate, illam non manifestat actione distincte sig-  
nificativa, & moraliter mala assertive; tali enim tempore cum sit usu ratio-  
nis desitutus, talis vocis, aut actionis usus incapax est: ergo excommuni-  
cationem non incurrit.

CAS. II. Titius Matri suæ rixas, & jurgia sive cum domesticis, sive cum  
exteris tum in ebrietate, tum extra ebrietatem sæpe excitanti mortem felici-  
cem, & beatam exoptat, ut tandem sit finis jurgiorum, & peccatorum. Q.  
an peccet.

Respondeo negative; ita Azor. Sanchez & Spor. in primum Decal præ-  
cepsum. Ratio est, quia objectum talis actus non est malum, optat enim Ti-  
tius mortem Matri, quæ illi melior est quam vita tot peccatis plena. Neque  
hic locum habet 14. propositio damnata ab Innocen. XI. quia ex morte Ma-  
tri nullum ex terminis casus temporale commodum filius sperat, in quo  
sensu damnata est citata propositio, cum vita Patri præferenda sit cuicum-  
que commodo temporali proprio juxta rectum charitatis ordinem; bene  
vero Filius solum commodum spirituale Matri ex ipsius morte sperat, &  
quidem solum ex suppositione, quod sit à Deo in utilitatem Matri mors  
disposita, quare stando terminis casus Titius non peccat.

CAS. III. Petrus annorum quatuordecim famulus cuiusdam Rustici sæ-  
pe non audit Sacrum in die festo, quia Dominus illum relinquit domi ad cus-  
todiendum sive domum, sive Armentum. Q. an adsit causa sufficienter ex-  
cusans ab auditione Sacri.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia impotentia moralis, & officium cus-  
todiendi domum, vel armentum per omnes sunt causa sufficiens ad excus-  
andum ab auditione Sacri. Neque dicatur teneri dimittere famulatum. Contra,  
alicui permissum est domum, & armentum custodire non audiendō sacrum die festo, si alter nequeat haberi talis custodia: quare ergo non  
erit permissum Petro? Hoc tamen solum procedit, si alter nequeat armen-  
tum custodire, vel licet plures essent famuli, plures non haberentur Missæ,  
vel in Parœcia, vel viciniis. Ita communiter.

### M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. DUM privato Baptismo ob vitæ periculum baptizatur Infans,  
eum tenet Cajus cum intentione agendi munus Patrii, illum  
que baptizat Sergius; nunc mortuo Patre Infantis, Mater libenter Mat-  
rimonium contraheret vel cum Cajo, vel cum Sergio.

Respondeo non obstat cum Cajo, obstat cum Sergio. Ratio primæ partis  
est, quia cum Cajo non obstat impedimentum cognationis spiritualis, de  
qua unice dubitari potest, etenim adhibitio Patrii est cæremonia instituta  
ab Ecclesia pro solo Baptismo solemnī: & ex usu Ecclesiæ constat non  
re-

requiri in privato Baptismo, qua ratione nomina patrinatorum, qui privatim infantem tenuerunt, à Parochis in libro non describuntur, nec illis ab eodem cognatio contracta inculcatur, quod tamen præscribit Trident. sess. 24. cap.2. de Reform. quando solemniter in Ecclesia Baptisma ministratur. Nec obstat intentio Cajii, quia intentio pura agendi munus Patrini non constituit solemnitatem ab Ecclesia requisitam pro tali cognatione contrahendam, sequitur ergo Cajum in casu ducere posse matrem Infantis. Ita Sanchez lib. 7. disp. 62. Sily. v. Matrim. Ratio secundæ partis est, quia Sergius vere Baptismum administravit Infanti, & hoc sufficit ad contrahendam cognitionem spiritualem, nec solemnitas aliqua desideratur, unde Sergius non potest valide cum talis infantis Matre Matrimonium inire. Ita communiter.

CAS. II. Nobilis quidam timorata conscientiae ruri commorans velle rationi operam dare die jejunii, sed quia prævidit ob fatigationem se imponentem redditurum ad servandum jejuniū, consult prius Parochum, an possit licite venari. Q. Parochi consilium.

Respondeo, teneri Parochum nobili viro respondere, non posse licite venari, ita cum Ales. Asten. cum quibus monet etiam Diana esse sentendum. Ratio est, quia venari cum tali prævisione non est uti jure suo, sed esset voluntarie impedimentum apponere observantiae præcepti jam urgentis, contra obligationem non apponendi tale impedimentum, eo quia Ecclesia jejuniū, ut finem præcipiens, præcipit etiam id, quod est ad tales finem, jejuniū nempe, necessarium; sed venari in casu esset impedimentum apponere fini ab Ecclesia præcepto, scilicet jejuno: ergo vir nobilis non potest licite venari, ne jejuniū impedimentum apponat, ad quod voluntarie apponendum jus non habet. Hæc responsio virtualiter continetur in 31. propos. ab Alex. VII. damnata.

CAS. III. Titius furto surripiens à Cajo decem coros tritici, motivum furandi adeo efficax dedit Sempronio, ut alias Sempronius non esset furatus. Q. an Titius teneatur restituere, Sempronio non restituente?

Respondeo negative. Ratio est, quia Titius non fuit causa furti relate ad Sempronium nec positiva, nec negativa, sed tantum occasio furandi, distinguitur enim causa ab occasione in hoc, quod causa vel producit effectum, vel influit in effectum physice, aut moraliter; occasio vero movet affectum, ut notat. Panorm. in c. si quando, unde occasio objective solum, non causaliter movet; sed in casu Titius non influxit in furtum Sempronii positive, non enim intervenit mandatum, vel consilium, vel consensus, vel palpatio, vel recursus, vel participatio, nec similiter negative: non enim ex officio tenebatur furtum Sempronii impedire; ergo fuit tantum occasio, quarentus sub pravo exemplo Sempronium ad furandum induxit, quod est quidem contra charitatem, non tamen contra justitiam peccare, ut requiritur ad restitutionis obligationem contrahendam, sicque non tenetur. Est communis. Neque obstat propositio 39. damnata ab Innocentio, quia intelligenda est de vera causa, non de occasione, ut docet Carden.

## MENSE NOVEMBRI S.

CAS. I. **B**erta gravi habita contentione, & quidem contumeliosa cum Catharinam, juravit serio, nolle amplius alloqui Catharinam, illiusque domum frequentare; cum tamen quadam die esset à Catharina ad jentaculum habendum invitata, domum illius intravit, ipsamque esset alloqua. Q. an Berta fuerit perjurii rea.  
Respondeo negative. Ratio est, quia tale juramentum fuit nullum, quia de re mala. Etenim ex inimicitia nolle alloqui inimicum, aut ejus domum frequentare, est peccatum contra proximi charitatem, consequenter quid malum, hinc & de re mala juramentum talia non præstandi, sicque nullum, cum juramentum nequeat esse vinculum iniquitatis; unde non fuit Berta perjurii rea, vicinam alloquendo, & ejus domum frequentando, nisi ex conscientia erronea talia præstiterit. Ita Sporer de Juramento.

CAS. II. Dum nascitur infans, obsterix dubitat, an vivat, necne, attamen sub conditione si es vivus, debita materia, forma, & intentione illum baptizat in pede. Extracto infante, nullum obsterix vidit vitæ signum. Res deferunt ad Capellum absente Parocho. Q. an sepeliet, vel non, talem infantem in loco sacro.

Respondeo, sepeliendum esse in loco sacro, ita cum Homob. vol. 2. cas. 67. consul. mor. Possev. Gobat. Lacroix lib. 7. n. 250. Ratio est, quia in dubio de valore Baptismi, Baptismus stat pro infante, sed in casu dubitatur tantum de valore Baptismi, cum dubitetur tantum de vita infantis tempore collationis Baptismi; quod enim infans natus visus fuerit mortuus, solum probat, natum esse mortuum, non vero non vixisse, dum fuit baptizatus: ergo pro infante stat Baptisma, sicque clare constat esse in loco sacro sepeliendum.

CAS. III. Titius injuste occidit Cajum patrem Sempronii, modo petit veniam à Sempronio paratus ad ei satisfaciendum, prout justitia exigit. Respondeat Sempronius, ex corde offensam dimitto, in scriptis tamen pacem dare nolo, ut publica justitia locum habeat. Q. an Sempronius tali animo accedens ad penitentia tribunal sit capax absolutionis.

Respondeo practice loquendo, non esse absolutionis capacem, ita cum Beja prima parte cas. 10. qui pro se citat D. Th. Alens. & alios. Ratio est, quia dicet speculative loquendo, stet vera dimissio: injuria ex corde cum puro zelo justitiae, quod sufficit pro inimicorum dilectione à Christo præcepta, in quo sensu explicari possunt auctoritates Scripturaræ, & Conciliorum, quæ à Beja adducuntur ad probandum obligationem pacem in scriptis concedendi inimico veniam petenti, & parato ad satisfaciendum, prout justitia exigit; tamen quia practice loquendo, nimis difficile, ac rarissimum est, quempiam invenire, qui, dimisso odio, ex puro amore justitiae, non potius ex affectu vindictæ, velit in scriptis pacem denegare, cum propter humanæ naturæ corruptionem ulciscendi libido hominum mentibus fere insita sit, ut loquitur Cathecum. Rom. de 5. præcept. Decal. cap. 6. num. 19. sequitur in praxi nolentem inimico, servatis aliis servandis pacem, in scrip-

scriptis concedere , esse in statu peccati , sique absolutionis incapacem.

M E N S E D E C E M B R I S .

CAS.I. Titius confitetur se in priori confessione oblitum fuisse trium fornicationum. Confessarius dixit ei, teneri repetere priorem Confessionem, quod nolens Titius præstare, inabsolutus à Confessario dimittitur. Q. an bene se gesserit Confessarius.

Respondeo, vel talis oblivio contingit ex defectu sufficientis examinis, vel præcise ex defectu memoriae. Si primum, bene se gessit Confessarius. Ratio est, quia sic prior Confessio fuit nulla, & peccavit Titius illam insti-tuendo, omisit enim culpabilitatem id, ad quod obligabatur, ac ideo, sane in consulat animæ suæ, tenetur & priorem Confessionem repeteret, & negligentiam, quæ causa fuit sacrilegæ Confessionis, exprimere; unde bene se gessit Confessarius; si secundum dicatur, male se gessit Confessarius, quia omissione alicujus peccati mortalis in Confessione per simplicem memoria defectum non invalidat Confessionem, fecit enim penitens quod debuit; & in tali Confessione valida directe remissa fuerunt peccata exposita, indirecte vero peccata oblita, & solum tenetur penitens oblita confiteri ad directam reportandam absolutionem, non vero priorem confessionem validam repetere; unde in hoc casu male se gessit Confessarius non absolvendo absolutionis capacem. Ita Sporet de Poenit.

CAS. II. Berta videns Catharinam habentem tres filios, semper blandiri Petro, & Joanni, è contra semper, etiam levi de causa, objurgare, & verberare Franciscum, firmiter judicat, Franciscum esse ex adulterio natum. Q. an hoc sit temere judicare cum peccato mortali.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia habetur firmus assensus de gravi malo proximi ex levibus indiciis, ut requiritur ad judicium temerarium lethaler peccaminosum. Habetur assensus firmus: dicitur enim in casu Berta firmiter judicat; habentur levia indicia, quia matrem blandiri uni filio, alterum levi de casu objurgare, ori potest ex alio disparato motivo, quam ex adulterio, & saepius filii ex adulterio concepit à matre præ aliis legitimis diliguntur; est etiam assensus de malo proximi, & quidem gravi; licet enim judicare aliquem esse ex adulterio natum etiam ex levibus indiciis, præscindendo à particularibus circumstantiis, non sit quid grave sufficiens ad lethale, ut tenent Less. lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 29. quod docent etiam Nav. & Girib. quia talis defectus ut pote naturalis non est culpabilis, tamen in casu, cum judicium sit de adulterio Catharinæ matris Francisci quod est quid maxime culpabile in fœmina, eique indecorum, clare constat judicium esse de malo gravi, & consequenter Bertam temere judicasse cum peccato lethali.

CAS. III. Conjugatus conjugatam cognovit, & ut de tali peccato confessionem faciat, putat satisfacere suæ obligationi, dicendo, confiteor me commisisse adulterium. Q. an bene sentiat pro valore Confessionis.

Respondeo male sentire. Ratio est, quia talis conjugatus duo adulteria commisit ob duas injurias, & injusticias, unam contra propiam uxorem, alteram

ram contra maritum fœminæ cognitæ; quas injurias, & injusticias Confessario non exponeret, dicendo Confiteor me commisisse adulterium, unde male sentire pro valore Confessionis. Ita Filiuc. Felix à Poëst. de adult.

ANNO MDCCXXXIV.

MENSE JANUARII.

CAS.I. Risticus quidam, post valida sponsalia inita cum Berta, ei tradidit rem, ex qua sibi vestem conficeret: modo cum absque causa velit ille à sponsalibus resilire, Berta rem acceptam dare recusat. Q. an licite.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet res illa non fuerit arrha, quæ amittitur ab eo, qui fidem non servat per Sponsalia promissam, cum non fuerit tradita in ipsa celebratione sponsaliorum; tamen, vel titulo sponsalitiae largitatis, quæ transit sub dominium sponsæ, si sponsus absque justa causa, ut in casu, à sponsalibus resilit, ut cum communis tenet La-croix lib. 6. p. 3. num. 136. vel titulo damni sive temporalis, sive moralis, quod ex tali injusta resilientia pati Berta cogetur; difficilis enim alterum inveniet, cui nubat, & per tale repudium famæ detrimentum obveniet, licite Berta rem acceptam dare recusat.

CAS. II. Uxoratus rem habuit cum consobrina secunda Uxoris suæ, putans se idcirco privari jure petendi debitum ab Uxore; modo consultit Parochum pro remedio ut absque culpa debitum conjugale valeat petere. Q. Parochi responsum.

Respondeo. Parochum teneri respondere uxorato, nullo indigere reme-dio, sed posse licite ab uxore sua debitum petere. Ratio est, quia in jure pri-vatio juris petendi debitum est solum taxata pro committente incusum cum persona consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, ut colligitur ex c. de eo, qui cognovit consanguin. &c. cum solum intra talem gra-dum copula illicita dirimat matrimonium cum consanguineis personæ cog-nitæ; sed in casu copula fuit cum consanguinea uxoris suæ in tertio gra-du, qualis est consobrina secunda, eo quia inter hanc, & stipitem, à quo istæ fœminæ descendunt, medianæ aliæ duæ personæ, ut regulam pro gra-dibus agnoscendis à jure canonico assignatam consideranti patebit; ergo talis uxoratus jure petendi debitum non fuit privatus, sique nullo indiget remedio. Neque obstat, ipsum putasse jus amittere; quia putare, legem poenam constituisse, non est poenam esse à lege determinatam, & effective illam incurtere, ut docet Sanch. lib. 9. disp. 27. num. 14.

CAS. III. Titius cum suspicetur, uxorem suam cum Petro adulterium patrassæ, cogit illam ad jurandum, quod adulterium cum Petro non comiserit, uxor sic coacta jurat: non peccasse cum Petro, intelligens intra